

BENEDICTUS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

EXpõni Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Joannetius de Molina, Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci Diſcalceatorum, & Recollectorum nuncupatorum Ultramontanæ Familiæ, quod aliàs excitata lite, coram dilecto pariter filio Joanne Vermejo tunc temporis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum Miniſtro Generali, ac Indiarum Occidentalium Commiſſario Generali in Oppido Matriti, Toletanæ Diœceſis, tunc commorante, inter dilectum itidem filium Bernardum à S.Maria, Procuratorem in Regio Conventu Sancti Ægidii, Oppidi prædicti, & Provinciarum Sancti Gregorii Inſularum Philippinarum, & Sancti Didaci Mexicani Ordinis Diſcalceatorum hujuſmodi ex una, & dilectum etiam filium Joſephum Torrubia memoratæ Provinciæ Sancti Gregorii, tunc temporis Cuſtodem, & Procuratorem ex altera partibus, ſuper uſu mandatorum Procuræ, ſuæ reſpectivè procurationis, alijſque dubijs in in-

fra-

fradicenda Congregatione subinde propositis, die XV. Februarii M.DCC.XXXIX. dictus Joannes Minister, & Commissarius Generalis sententiam ad favorem memorati Josephi protulit, ac in eadem sententia præter dubia controversa, alia quoque mandata, & decreta, non solum municipalibus statutis eorumdem Fratrum Discalceatorum, quibus ii ad præscriptum plurimarum Constitutionum Apostolicarum regi, & gubernari debent, verumetiam quibusdam fel. rec. Urbani PP. VIII. prædecessoris nostri in simili forma Brevis die XXII. Decembris M.DC.XLII. quarum initium est: *Aliàs pro felic. &c.* expeditis litteris contraria, atque opposita adjecit, ea propter dictus Bernardus appellationem à sententia, & decretis hujusmodi ad Congregationem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum, interposuit, quæ quidem Congregatio Cardinalium actorum transmisionem ordinavit, quam quidem transmisionem dictus Josephus, authoritate Regii Consilii Indiarum, impedire conatus fuit, è contra Consiliarii hujusmodi, quippè qui non solum doctrina, sed pietate, & religionis zelo prædití, præscriptum ab eadem Congregatione Cardinalium debita executioni demandari jusserunt, imò dilecto itidem filio Petro à Jesu, Fratri expresè professo, ac Provinciæ Sancti Gregorii hujusmodi Custodi, necnon dictæ, & alterius Sancti Didaci Provinciarum Procuratori deputato, Regias commendatitias pro petenda Alma Urbe nostra, & causæ hujusmodi in his, quæ ad prædictas Provincias spectabat, definitione coram dicta Congregatione Cardinalium urgenda, concesserunt: demum propositis in ejusmodi Congregatione Cardinalium, nonnullis dubiis, eadem Congregatio edidit decretum tenoris sequentis, videlicet. In causa Indiarum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Discalceatorum vertente inter Patres Discalceatos Insularum Philippinarum, & Mexici ex una, & P. Commissarium Generalem Curiæ Hispanum ex altera partibus, proposita fuerunt infrascripta dubia: Primò: An liceat Provinciis Indiarum constituere Procuratores sibi benevisos pro eorum negociis, in quocumque loco, sine licentia, consensu, aut consilio Patris Commissarii Generalis Indiarum in casu, &c. Secundò: An Procuratores ut supra constituti, vel constituendi, præter litteras obedientiales, & mandatum Procuratore, teneantur quoque, ostendere eidem Commissario Generali Instructiones se-

cre-

cretas, & singula negocia sibi per Provincias commissa; & propterea an sententia dicti Reverendissimi Patris Commissarii Generalis Indiarum, in hac parte, sit confirmanda, vel infirmanda in casu, &c. Sacra Congregatio Emminentissimorum S. R. E. Cardinalium negociis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, referente Emminentissimo Firrao Præfecto ac Ponente, re maturè perpensa, censuit respondendum, prout respondit, nempè: Ad primum dubium affirmativè, quoad secundum negativè, & propterea sententiam Patris Commissarii Generalis esse infirmandam. Romæ XVII. Maii M.DCC.XLIII. J. Cardinalis Firrao. C. Arch. Damiat. Secretarius. Loco ✠ Sigilli.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Petrus Joannetius decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri, summopere desideret. Nos specialem Petro Joannetio, ac Petro Custodi, necnon Provinciis præfatis gratiam facere volentes, dictorumque Petri Joannetii Procuratoris Generalis, & Petri Custodis singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis super hoc humilitèr porrectis, inclinati; decretum præinsertum, authoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in præmissis authoritate eusdem Congregationis Cardinalium. Decernentes ipsas præsentes literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectavit, plenissimè suffragari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quamvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his quoquam quavis authoritate scientèr, vel ignorantèr contigerit

rit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Ordinis, & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficientèr expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialitèr, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S.Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die XV. Julij M.DCC.XLIII. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Loco ✠ Sigilli.

D. Cardinalis Passioneus.

Omnibus et singulis praesens transumptum visuris, fidem facio concordare, et habet ad litteram originale per me visum, et perlectum; Bracharae die septimo Junii anni 1744.

In rei veritate

Josephus à Sa Pereira Gomez
Not. Aplicus